



Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Die 3. S. Franciscus Xaverius

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

DECEMBER.

Festum S. Francisci Xaverii ex
Societate Jesu Apostoli Indianorum
zelosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Vivre totum S. Xaverii erat promo-
vere Dei honorem , & gloriam.
Ideò nulla ei requies , otium nullum.
Quis finis nostræ vitæ, ô dilecte fili ! si non
Deus ? Heu ! damnabilis est ! Unus Deus
quæratur. Etenim ad imaginem Dei facta
anima rationalis ; cæteris omnibus occu-
pari potest , repleri non potest. S. Bern.

Instructio meritoria.

Erravimus dilecte ! non Deum , sed
nosipso non raro pro fine habuimus.
Satisfacturi pro flore , & incremento in-
clytæ Societatis Jesu Psalmum : *Deus ju-
dicum tuum regi da &c.* cum oratione
de Festo recitemus. Dabit , & impetrabit
D. Xaverius , ut in suis indies zelosius glo-
rificetur Deus.

II.

A Deò S. Xaverius sitiebat labores , cu-
ras , & sollicitudines pro lucro ani-

FF 2

ma-

676 III. Decembris. S. Francisci Xav.

marum subeundas, ut tempore consolacionis exclamaret : *Satis est* : in angustiis verò, & laboribus : *Amplius Domine ! Amplius !* Quid ad hæc nostra in proximum charitas ? Si talis non est, qualis S. Xaverii , modica , aut nulla est. Et tamen gaudemus nomine fratris Christi. *Dilecte mi ! capiamus magni Xaverii doctrinam.* *Divinum aliquid est*, ait, posse aliis prodesse. Quot ad frugem perditos reducis, tot lethales pepulisti morbos, imo totidem ad vitā mortuos resuscitasti. *Quanti hanc in corporibus artem faceret medicus, quam in animos tibi concessit Deus !*

Instructio meritoria.

Versùs quatuor mundi partes flectamus, & ut ibi omnes Missionarii, ac viri Apostolici magna, & grandia præstent verbō & exemplō in conversione gentium, ad quamlibet orbis plagam *quinq[ue] Pater & Ave oremus cum suspirio :* O Beata Trinitas ! da nobis animas ! da & in fide constantiam.

III.

Ecce ! vincitum in Domino ! Ecce Xaverium Martyrem in desideriis genero-



nerosissimum! Pro Christo in regno Sy-
narum mori exoptat. Et dum gladio
mori non licuit, mortuus est amore, &
desiderio. O chare! profectò sic perde-
re lucrum est, ubi vita hæc mortalis pro
Deo ponitur; non est mors dicenda, sed
vitæ melioris commutatio questuosis-
ma; nam brevis æternâ, misera commu-
tatur felicissimâ. Quæ præplacet?

Instructio meritoria.

Pro Deo, & animarum lucrō audea-
mus multa, & magna! Possumus, dum
volumus. Et quid seriò velle, & fervidè
laborare impedit? Nonne languor, tepi-
ditas, vanus, stultusque timor? Citò ex-
cutiamus, & post missam pro extirpatione
hæresum, pro concordia Christiano-
rum Principum, pro exaltatione Roma-
næ Ecclesiæ, & Fidei Catholicae quotidie
recitemus *septem Pater* & *Ave* cum de-
siderio D. Xaverii: O Deus! *Ego amo*
te, nec amo te, ut salves me &c.